



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv
Fvndavit, Libri III**

Maffei, Giovanni Pietro

Dvaci, 1585

Pietatis opera publice per eum instituta. Cap. XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44004

est questus; licet per adiutorum inscitiam incuriãve cibaria male cocta conditaque; vinum etiam fugiens aut acidum præberetur. nihil deniq. sibi proprie apponi vniquam est passus: & grauitèr administrũ aliquãdo punit, quòd vuæ racemum vni sibi præter ceteros attulisset. quæ sane peritus rerũ æstimator haud ita leuia duxerit, si hominis vel ætatẽ ipsam, cui multa dantur, vel infirmitatem valetudinis plura imperantem, vel deniq. summam inter suos potestatem & licentiam, vt ita dicam, suo arbitratu viuendi, consideret. Munditias in victu cultuq. dilexit; sed faciles, & nequaquam exquisitas; cuiusmodi & viatorem, & Christi famulum decent: placuitq. ei semper, ad alliciendos præsertim homines, vt dictum est, non incompta frugalitas. Ac de Ignatio quidem (quod me non fugit) alia id genus multa narrantur; verum singula persequi necesse non est. tantum ad viri mores virtutemq. intelligendam, hæc pauca libauimus.

Pietatis opera publice per eum instituta.

CAP. XIII.

INter ipsam Societatis administrationem, cui potissimum inseruiebat, non exiguam partem curarum aliis quoq. rebus imperitiit; atq. iis maxime, quæ ad salutẽ & commodum populi, atq. ad splendorem ac dignitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ pertinerent. De curandis ægrotis, & Pænitiẽ Sacramento, Innocentij tertij Papæ lex est: Ægrotos nisi peccata rite confessos, à prima inspectione medici neve adeunto, neve curanto. Ea lex cum ipsa desuetudine propemodum antiquata esset, perfecit Ignatius vt salutaris illa consuetudo,

rudo, longo interuallo reuocaretur; visendi tamen spatio in alteram vsq. vicem extracto: qua moderatione videlicet, simul & publicę existimationi, & singulorum animis corporibusq. consultum est. Mulierculas à maritis cum pudicitia capitisve periculo dissidentes, matronis ditioribus in officio continendas ac sustentandas diuidere consueuerat: sed cum cresceret numerus; ne cui grauior esset impensa, locum iisdem recipiendis alēdisq. publice parare constituit; suumq. consilium impertit primoribus ciuitatis. quibus rem ita probantibus, vt nemo tamen se profiteri vellet tam gloriosi operis principem, hanc rationem Ignatius iniit rei ad exitum perducendæ. Ex area tēpli nostri Petrus Codatius procurator lapides ingentes effoderat, cuiusmodi multi ruinis veteribus continentur. hos igitur lapides, in magna rei familiaris inopia vendi, & summam ex iis confici aureorum centum Ignatius imperauit: eam pecuniam cum ad opus inchoandū primus in medio posuisset, tantum reliquis ardorem iniecit (insita mortalibus natura propere sequendi quæ inchoare piguit) vt ex voluntaria collatione institutum sit cœnobiū, quo eius generis feminæ sese reciperent; ibiq. secure tam diu delitescerent, quoad compositis controuersis in gratiam cum maritis redirent: atq. idcirco cœnobiū (vt supra diximus) Male nūptarū vulgo appellatum est. Ad eius autem loci custodiā atq. administratiōnem Ignatius piorum hōminum sodalitatē adhibuit, prudenti sane consilio. Etenim in communem vtilitatem intentus, ne vno dumtaxat munere implicitus teneretur, vt quodq. opus absoluerat, cōfestim eius operis procuratione certis atq. idoneis hominibus demādata, ipse animum & cogitationem ad alia

O ij deinceps

deinceps atq. alia transferebat. Parthenonem etiam sanctæ Catharinæ, cui à Funariis vel à Rosa cognomen est, Ignatius idem instituit. quo in Parthenone puellæ forma eleganti, quarum pudicitia periclitaretur ob angustias rei familiaris, magna præfectorum diligentia conquisitæ, interdum etiam pro potestate, si res exigat, è complexu parentum abreptæ, hodie ad centum & quinquaginta sub claustris, & sanctimonialium feminarum disciplina, magno labore & impensa educantur. eademque, simul atq. maturum est, vel perpetuæ religioni & castitati sponte se consecrant; vel idoneis viris dantur nuptui, dote à loci præsidibus persoluta. Non minus laudabile quod sequitur. Cum plurimi bonæ interdum indolis pueri & puellæ, vt in Vrbe plena peregrinis & aduenis, destituti vel orbi parentibus, miserandum in modum per plateas & compita seminudi & egentes errarent; vtriusq. sexus & commodis & saluti, eodem Ignatio suadente, prouisum est. Itaq. ex eo tempore duabus in ædibus, hoc est sanctæ Mariæ in Aquiro, & sanctorum quattuor Coronatorum, masculi seorsum ac feminae, & gratis aluntur, & rudimentis Christianæ fidei, ac partim litteris, partim etiam necessariis ad vsum reipublicæ artibus atque opificiis imbuuntur. Vtriusq. autem sexus est hac tempestate numerus capitum amplius ducentorum; quorum illi præter domesticas exercitationes, ad funera quoq. prosequenda psallentes & candidati procedunt: hæ, vbi adoleuerint, vel maritantur, vel in sacratarum virginum collegia sese conferunt. Quinetiam, quod olim in patria sua perfecerat, id ipsum Romæ quoq. molitus est: vt vlcerosi ac mendici per compita misere quiritantes, vnum in locum coacti, publica impensa ex censu & collatio-

collationibus alerentur. eamq. rem ingenti ciuitatis approbatione ad exitum perduxisset, ni pauci potentes, nescio quo spiritu impulsi, huic tam præclaræ actioni obstitissent. Ad hæc, è quisquiliis Hebræorū si cuiuspiam Euangelij lumen affulserat, hunc hospitio confestim acceptum Ignatius pro sua tenuitate liberaliter ac benigne tractabat, quoad Christianis præceptionibus eruditus baptismatis fonte renascere-tur. neq. à procurandis neophytorum cōmodis ante destitit, quàm ex auctoritate summi Pontificis ædes paratæ sunt, quas Catechumenorum appellant: quibus in ædibus hodie masculos seorsum ac feminas, cum aliorum, tum præcipue Gregorij XIII. Pontificis maximi munificentia large sustentat. atque etiam (quod expressius caritatis argumentum est) baptizati ex eo loco non ante mittuntur, quàm aut litterarum præsidio quas interim edocētur, aut artis cuiuspiam, necessaria sibi in reliquam vitam adiumenta parauerint. quo pietatis officio multi ex eadem secta permoti, magno bonorum gaudio, sese quotannis ad Christum adiungunt. Illud vero optimum, quod ad catholicæ fidei reliquias in Septentrionali plaga fouendas, augendasque, auctore atque adiutore in primis Ioanne Morono Cardinali amplissimo, Seminarium clericorum in Vrbe condidit, dato negotio nostris hominibus, qui conquisitos bonæ indolis adolescentes Romam ex iisdem regionibus mitterent. atq. id Seminarium, siue collegium Germanicum, vt appellant, acerbissimis deinde tempestatibus, ingenti labore ac perseuerantia tutatus Ignatius est; præstantissimis è tota Societate doctoribus ad eam iuuentutem & litteris & moribus instruendam adhibitis. quod opus & Ecclesiæ Romanæ ornamento, & Ger-

maniam magno adiumento & fuisse, & esse hodie vel maxime constat, cum in eius pane collapsi instaurationem & amplificationem, idem Gregorius XIII. pro sua præcipua in eas nationes clemètia & voluntate vehementer incubuit. Nec Germanicæ modo, sed ceterarum quoq. gentium pueros & adolescentes Ignatius, piis ac liberalibus disciplinis imbuedos (quam vnam expeditissimam emendandi generis humani rationem ducebat esse) per se suosq. admonitu plane diuino suscepit. atq. ob id ipsum, gymnasia, quibus æque infimi ac summi gratis erudirentur, non Romæ solum, sed etiam toto pane terrarum orbe constituit, summa adhibita cura, vt ne quid professores nostri, quamuis acutum & plausibile afferrent peregrini vel noui dogmatis, nedum ab orthodoxa fide abhorrentis; verum in singulis quæstionibus celeberrima quæque & probatissima doctorum placita sequerentur.

Quædam de Ignatio mira. CAP. XIV.

PRæter ea quæ superioribus libris Ignatio diuinitus accidisse retulimus, nō pauca de eodem admirabilia prædicantur: quorum aliqua nobis hoc loco exponere visum est. Recenti conuersione, Hierosolymam petēs, dum Barcinone transmissionem expectat, interea diuinā rem, sacras conciones, & alia religionis officia quàm accuratissime obire non destitit. Accidit autem aliquando, vt cum in templo verbum Dei audiret; conspicata hominem femina princeps, peregrini habitus faci plebis immistū; videre sibi visa sit eius caput ac faciem eximio quodam fulgore splendentem, idque
 tanta